ANTONII FABRI I.C.

SEBVSIANI, ET IN SVPREMO SABAVDIÆ SENATV PRIMARII PRÆSIDIS,

DE ERRORIBVS PRAGMAT. ET INTERPRETVM IVRIS CHILIADIS PARS PRIMA

IN DECADES XXV. DISTINCTA.

Opus varium, nec illis tantùm qui in foro, sed iis etiam qui in scholis versantur, longè vtilissimum, ad vera, rectáque iuris principia capessenda, quorum ignoratione pragmatici vulgaréſque interpretes passim cæcutiunt.

EDITIO POSTREMA.

Aucta Capitum summariis, Indice legum explicatarum, atque variorum Iuris pronuntiatorum, quæ ab autore exposita sunt, aut aduersus interpretum & pragmaticorum inscitiam luculenter defensa, elencho.

Es de la Librería del Reeto de mr. Olivera

Dn. Pedro Joseph Antolinez Castro

COLONIÆ ALLOBROGVM,
SVMPTIBVS SAMVELIS CRISPINI.
M. DC. XIII.

SERENISSIMO ATQVE INVICTISSIMO CAROLO EMANVELI SABAVDIAE DVCI, PEdemontium Principi, Sebusianorum Domino, &c. Antonius Faber Sebusianus P.F.

QVM de Republica mihi semper visi sunt benè mereri omnes, qui iurisprudentiam tractant, Princeps inuictissime, tum ij omnium optimè, qui sic tractant, vt ad præcepta scientiæ addant etiam iuris dicendi exercitationem. Nam quod de virtutibus verè proditum est, præcipuam earum laudem in actione, non in contemplatione consistere, idipsum sanè de scientiis omnibus perinde dici potest, si eæ excipiantur, quæ contemplatione adeò constant vt actionis penitus sint expertes. Neque verò nisi sè Doctores istos ἀπράκτους καὶ τῆς πράξεως ἀδυνάτους cotibus assimilauerim, quæ acuendis gladiis vt pungere & scindere possint, aptissimæ, ad pungendum tamen vel scindendum sunt ipsæ prorsus inutiles, & inefficaces. Itaque cùm iuris non scientiam, sed prudentiam dicere soleamus, fatebor equidem iurisperitos eos esse, at non æquè prudentes, nisi nouo fortassis prudentiæ genere, quæ tota in docendo dicendoque tantùm, non etiam in agendo versetur. In eóque mirandum certè, nescio an dolendum potiùs est, tot ætate nostra præstantissimos Iureconsultos sibi defuisse, qui in tradenda disciplina, ne Papiniano quidem, vt videbantur inferiores, si quando tamen ad praxim deueniendum fuit, vel de minima re interrogati aut obmutuisse, aut tam ineptè respondisse memorantur, vt rudioribus pragmaticis præbuerint se ridendos. Ridiculi sanè, qui rem, scitu non modò facilem, sed

ANTONII FABRI IC. SEBVSIANI, ET IN SVPREMO SABAVDIÆ SENATV PRAESIDIS PRIMARII.

***

CHILIADIS

DE ERRORIBVS PRAGMATICORVM, ET INTERPRETVM IVRIS,

PARS PRIMA.

DECAS PRIMA.

ERROR PRIMVS.

De tacita hypotheca ex chirographo agnito, vel denegato.

SVMMARIA.

1 *Debitoris bona omnia tacito pignoris iure creditori esse obligata, licèt de pignore non conuenerit, vulgaru error est.*

2 *Fudo d. error ab eius patrono probetur.*

3 *Bona debitoris citra expressam conuentionem obligata creditori regulariter non esse, & num. 16.*

4 *Inter creditores chirographarios & hypothecarios differentia elegans.*

5 *Ex eo quod vulgaru est conuentio de pignore non debet inferri eam subintelligendam esse cùm est omissa.*

6 *Clausula constituti vbi omissa est pro adiecta non habetur.*

7 *Clausula per quam renunciare fideiussores & correi solent exceptioni ordinis & diuisionis exprimi debet vt creditori prosit.*

8 *Clausula codicillaris ex eo quod sit frequentissima non habetur pro adiecta quando omissa est.*

9 *Ex eo quòd clausulæ quædam vulgò adijci solean, ex notariorum stylo potius quam ex dicentium voluntate adiecta videri non debent.*

10 *In vltimis voluntatibus interpretandis regulare est, vt plus dictum, minùs scriptum non existimetur.*

11 *Adeóque in cõtractibus, in quibus perpetuum est illud, Propositum in mente retentum nihil operatur.*

12 *Ex eo quod Iustinianus constituit, obligatis generaliter bonis omnibus etiam futura comprehendi, non potest inferri nulla pignoris obligatione expressa, tacitam subintelligendam esse.*